בשש״ד

AVSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISS. PRINCIPIS REGII
DN. FRIDERICI AVGVSTI
ELECTORATVS SAXONICI HEREDIS,
DE

ABOMINANDO MOABI SACRIFICIO,

Ad Illustrandum II. Reg. III. com. ult.

PRAESIDE
IO. CHRISTOPHORO VVICHMANNSHAVSEN,
LL. OO. Prof. Publ. Facult. Phil. Seniore,
& Bibliothecae Academicae Directore,
In Auditorio Maiori,
III. Kal. Sept. A. O. R. CIƆ IƆ CCXVI.
publice disputabit
Autor
M. IOANNES HAGERVS, Varisc.
SS. Theol. & Linguarum Orientalium Cultor.

VVITTEBERGAE SAXONVM
EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDERI ACAD. TYPOGR.

~~12~~ 27.
d. CXXXIV. 12.
Hist. diss. A 4, 14

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn348341466/1
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

Sächs. Landes-Bibl.

DE ABOMINANDO MOABI SACRIFICIO.

I.

NEminem, qui in perquirendis veterum monumentis occupatus eſt, latet, quod Gentes, ut Deorum gratiam, & fauorem, ſibi conciliarent, non varii tantum generis beſtias, & herbarum, aliarumque rerum, ſpecies in ſacrificia iisdem obtulerint, ſed eo immanitatis, ac crudelitatis, demum proceſſerint, ut ipſos etiam homines illis immolare non dubitauerint. Hunc autem ſacrificandi ritum ultimam ſapere antiquitatem, id quidem PHILO BYBLIUS in *Phœnic. hiſtoria*, apud EUSEBIUM, *Praeparat. Euangel.* IV. 16. diſerte adſtruit: ἔθος, inquiens, ἦν τοῖς παλαιοῖς ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς τῶν κινδύνων, ἀντὶ τῆς πάντων φθορᾶς, τὸν ἠγαπημένον τῶν τέκνων τοὺς κρατοῦντας ἢ πόλεως ἢ ἔθνους εἰς σφαγὴν ἐπιδιδόναι, λύτρον τοῖς τιμωροῖς Δαίμοσι. *Mos erat antiquis, ut in magnis periculorum calamitatibus, ii, qui*

urbem, aut gentem, regebant, filium maxime dilectum, pro omnium exitio, offerrent, piaculum Diis ultoribus. Idem suo quoque calculo firmat LACTANTIVS, libr. I. cap. 22. de *Falsa Religione*, ita scribens: *Apparet, antiquum esse hunc hominum immolandorum ritum.* Et sane nulla propemodum gens in orbe extitit, quae non horrenda istiusmodi immolatione manus suas nefarie commaculauerit. Prouocamus, hac in parte, inprimis ad *Graecos*, utpote de quibus PHILARCHVS, in *Historia* sua, ex PORPHYRIO, Lib. II. refert, κοινῶς πάντας τοὺς Ἕλληνας πρὶν ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἐξιέναι ἄνθρωπον τονεῖν, *communiter omnes Graecos, antequam in bellum ingrederentur, hominem mactare cousueuisse.* THEBANIS similiter *Tiresias* victoriam, hac demum sub conditione, promittit: ἐὰν Μενοικεὺς ὁ Κρέοντος Ἄρει σφάγιον αὑτὸν ἐπιδῶ, *si Menoeceus Creontis F. Marti se dedat victimam,* apud APOLLODOR. III. 6. 7. Ipse *Atheniensium* Rex, ERECHTEVS, filiam suam, cui *Chthoniae* nomen erat, ut HYGINVS *fab.* XLVI. commemorat, NEPTVNO, iuxta CLEMENTEM uero ALEXANDRINVM, in *Proteptico*, pag. 27. PROSERPINAE, in uictimam offerebat. Apud AELIANVM, *lib. XII. cap. 28.* relatum insuper legimus, quod pater quidam, LEO, ut *Atheniensium* ciuitas salua perstaret, atque incolumis, tres suas interimere filias instituerit. *Romanos* etiam ab humanis uictimis plane non abstinuisse, praeter caeteros, testis est APOLLODORVS, *Lib. II.* ubi, aruspicum iussu, puerum Diis, uictimae loco, immolatum fuisse commemorat, cum pleraque *Romae* fulmine foedata, & deiecta, essent. De HELIOGABALO sigillatim annotat *Ælius Lampridius*, quod & ipse humanas hostias, lectis ad hoc nobi-

nobilibus pueris, aliquando caederit. In ludis insuper, qui *Romae* JOVI fiebant, sanguis humanus large effusus est. Eodem hoc nefando crimine *Scythas* olim plurimum se conspurcasse, LVCIANVS, de *Sacrificiis*, pag. 93. per seqq. demonstrat: ὁ μέν γε Σκύθης, πάσας τὰς θυσίας ἀφείς, καὶ ἡγησάμενος ταπεινάς' αὐτοὺς ἀνθρώπους τῇ Ἀρτέμιδι παρίστησι καὶ οὕτω ποιῶν ἀρέσκει τῇ θεῷ, *Scytha omnes hostias omittens, & humiles existimans, ipsos homines Dianae obtulit, sicque agens placuit Deae.* De *Æthiopibus* HELIODORVS, *Lib. X, Æthiop.* οἶσθα, inquit, ὡς ἄρρενα μὲν τῷ Ἡλίῳ. θήλειαν δὲ τῇ Σεληναίᾳ καὶ προσάγειν τε καὶ ἱερουργεῖν ὁ νόμος βούλεται, *Scis, quod masculum quidem Soli, foeminam autem Lunae, & offerre, & sacrificare, lex postulet. Galli* non infantes, sed virilem aetatem, MERCVRIO jugularunt, ut narrat CAESAR, de *bello Gallico, libr. VI.* Similia furorum Ethnicorum exempla a TERTVLLIANO, in *Apologetico*, recitantur, quo cum etiam EVSEBIVS, *libr. V. praeparat. Euangel.* utiliter conferri poterit. Ad alios populos, & ad nostros sigillatim *Germanos*, progredi ulterius possemus, nisi & instituti ratio aliud suaderet, & IACOBVS GEVSIVS, *Theologus & Medicus, Frisius*, in erudito, de *Victimis humanis*, libello, *Groningae* M DC LXXVI. impresso, dudum, & hac in parte, nobis otia fecisset. Missis itaque, quae morari ulterius nos poterant, hac quidem uice, in abominandum istud, quod *Moabitarum* Rex perpetrauit, facinus, quo de II. REG. *cap. III. vers. ult.* nos informat, paulo curatius, strictim tamen, inquirere annitemur. Contra hunc enim postquam, una cum *Israelis* rege, cui debitum tributum soluere iste recusauerat, *Judae*, ac *Edomaeorum*, reges expeditionem institu-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn348341466/5
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ſtituiſſent, & metropolin regni ad incitas propemodum redegiſſent, nihil amplius, ut ex ſummo hoc rerum ſuarum diſcrimine aegre tandem emergeret, ſibi reliqui eſſe putabat, quam ut pretioſiſſimum, quod poſſidebat, pignus, filium puto primogenitum, & imperii heredem, pro ſua, & regni, incolumitate perimeret, eundemque ſupra muris publice, ſuo, & hoſtili, exercitu, imo omni populo, inſpectante, *Deaſtris Moabiticis* immolaret.

§. II.

Ad ipſum vero, quod prae manibus eſt, argumentum, ut propius accedamus, in notionem בנו, quae l. c. occurrit, primum, & haud immerito quidem, curatius paululum inquirendum erit. Atque ita ſtatim negotii non parum nobis faceſſere videtur, ipſum ſuffixum ו, utpote quod, cum *Ebraei* reciproca diſtincta, ut *Latini*, non habeant, ambiguum eſt. Quidam enim exiſtimant, quod ad regis *Edomaeorum*, alii, quod ad regis *Moabitarum*, filium, referendum iſtud ſit. Prioris ſententiae, quaſi ſcilicet *Edomaeorum* regis filius hic indigitetur, inter *Judaeos*, dudum in ſe patrocinium ſuſcepit R. DAVIDIS KIMCHII parens, cuius meditationes ad *II. Reg. III. verſ. ult.* & ad haec quidem uerba ויקח את בנו הבכור per ſeqq. iſte proponit. *Bibl. Buxt. Rabb. fol. 410. col. 1. lin. 58.* פי׳ אדוני אבי ז״ל כי בן מלך אדום הראוי למלוך תחתיו היה ברשות מלך מואב ומפני זה בא עם שני המלכים כי חשב להוציא בעזרתם בנו מתחת יד מלך מואב וכשחשב מלך מואב להבקיע אל מלך אדום ולא יכול לקחת בקנאו את בן מלך אדום והעלהו אל החומה ושרפו לעיני אביו וזהו ויעלהו עולה שרפו כמו שורפין העולה: *Interpretatus eſt dominus meus parens* p. m. *quod filius regis Edom, regnaturus poſt ipſum, fuerit in poteſtate Regis Moab, & propter hunc venerit* (Rex Edom) *cum duobus*

bus regibus, quoniam putabat reducere ipſorum auxilio filium ſuum ex poteſtate regis Moab; & cum Rex Moab irruere uellet in regem Edom, ſed non valeret, ſumſerit, in ira ſua, filium regis Edom, & ſuper murum adductum combuſſerit in conſpectu patris ſui. Hoc eſt (quod dicitur) *& obtulit eum in holocauſtum, quoniam combuſſit eum, ſicut comburere ſolebant victimam.* R. MOSEM KIMCHIVM, *Joſephi* filium, paria inculcaſſe, idem D. KIMCHIVS in *Bibl. Buxtorfianis* l. c. monet, ita pergens: אחי ר' משה ז"ל פי' כי כאשר חשב להבקיע מלך מואב אל מלך אדום אז לקח בנו באות' המלחמה חטפו מהם והעלהו על החומה ושרפו לעיני אביו: *Frater meus R. Moſe, p. m. explicat, quod cum irruere vellet rex Moab in regem Edom, tunc ſumſerit filium ſuum in iſto bello, abſtulerit eum ab illis, & ſuper murum perductum cremarit coram oculis patris ſui.* Praeter R. IACOBVM ABENDANAM, qui *Kimchios*, patrem & filium, in SPICILEGIO, ſuper R. *Sal. Ben Melech* MICHLAL IOPHI, *fol. 80. col. 1. f. 1.* hic ſecutus eſt, frigidam quoque opinioni iſti affundit R. ISAACVS ABARBANEL, in *Comment.* ad h. l. *fol. 272. col. 1. f. 2. lin. 10.* a fine, ubi ita commentatur: ר"ל שלקח מלך מואב בנו של מלך אדום הבכור שהיה עתיד למלוך אחריו כי לא יכול לגעת במלך אדום וללכדו אבל לקח בנו וכדי להנקם ממלך אדום העלה את בנו אשר לכד עולה על החומה כלומר ששרף אותו ועשאו עולה כלה כליל: *Vult dicere* (Scriptura) *quod ſumſerit Rex Moab filium Regis Edom primogenitum, qui regnaturus fuiſſet poſt ipſum. Nam non potuit attingere regem Edom, eumque apprehendere, verum ſumſit filium ſuum, & ,ut vindictam peteret a Rege Edom, obtulit filium ſuum, quem ceperat, in holocauſtum ſuper muro, quaſi diceret, quod cremarit eum, feceritque ex eo holocau-*

ſtum

ſtum perfectum. Et iterum l. c. *col. 2. f. 1. lin. 1.* אלא מתבאר מזה שבנו האמור בכאן אינו בנו של מלך מואב כ"א בנו של מלך אדום האמור שלקח אותו מלך מואב כאשר יצא מהעיר להלחם במלחמה עם מלך אדום ולשנאתו אותו העלהו עולה כששרף אותו על החומה׃ *Ecce exinde clarum eſt, quod* בנו *filius eius commemoratus hic, non ſit filius regis Moab, ſed filius regis Edom recenſiti, quem cepit rex Moab cum exiret urbe ad pugnandum in acie cum rege Edom, & ex ira in ipſum obtulit eum in holocauſtum, cum combuſſiſſet eum ſuper muro.* Ex CHRISTIANIS interpretationem hanc amplexus eſt incertus Autor, cuius *Annotationes* in V. T. e *Bibliotheca* JOANNIS, *Archiepiſcopi Eboracenſis, Amſtel. A. MDCCX.* in lucem editae ſunt, ſiquidem iſte, ad oraculum noſtrum delatus, *τὸ* בנו *per filium regis Edom* ſimiliter vertit, inſuper annotans, quod hunc captivum, vidente patre, *Moabitarum Rex*, SATVRNO forſan, *Lev. XVIII. 21.* immolauerit, & quod, atroci ſcelere hoc perpetrato, non obſidio tantum ſoluta ſit, ſed imperati quoque v. 19. anathematis intermiſſio contigerit. At enim vero fruſtraneam hanc eſſe coniecturam, & firmiori ſuo talo non niti, vel inde manifeſto conſtare uidetur, quod *συνάφεια* textus authentici, & arctior hiſtoriae univerſae nexus, obſtent, quo minus *τὸ* בנו ad filium regis *Edom* reſtringere queamus. Qua enim, quaeſo! ratione, ſi regum foedaratorum uni, *Edomaeorum* puto, tanta obtigiſſet calamitas, ut *filii* ſui primogeniti & regni heredis, per publicam, ſupra muris hoſtium, immolationem, iacturam ipſum facere oportuiſſet, *Eliſae* prophetia, qua plenior iſtis obtingere debebat uictoria, adimpleta fuiſſet? Accedit, quod plane non ſit probabile, quod *Moabitarum* rex, ut *Edomaeorum* regi aegre

face-

faceret, filium eius in holocaustum offerre uoluerit, cum alia omnino qualiscunque, patre intuente, interfectio suffecisset. Neque etiam, si *Edomaeum* hic immolasset *Moab*, regni pretiosissimum quid, quo *Deastri Moabitici* placari demum potuissent, sed irae, & uindictae, damnandae Symbolum, maxime reprobandum, his iisdem obtulisset. Probabile insuper non est, quod, filio Regis *Edom* interfecto, foederati reges obsidionem statim soluere uoluerint, cum sanior potius suadeat ratio, quod nefandum hoc factum strenue ulcisci, regemque *Moab*, nisi ipsemet iam se, atque domum suam, misere afflixisset, & ad incitas redegisset, iunctis porro uiribus aggredi, summaque imis miscere, uoluerint. His itaque, & similibus, moti argumentis, inter ipsos *Ebraeos*, reperti sunt non pauci, qui contribules hic deseruerunt, & MESAE, regis *Moabitarum*, filium, in uictimae locum, calculis suis, substituerunt. In isto enim TALMVDIS *Tractatu*, qui TAANITH nuncupatur *fol. 4. col. 1. lin. 24.* expressa habentur uerba: אשר לא צויתי זה בנו של מישע מלך מואב שנאמר ויקח את בנו וגו' *Quod non praecepi* (*Jer. XIX. 5.* ubi sermo de Deo est) *scilicet hoc in filio Mesae Regis Moabitarum peractum, quando dicitur: & sumsit filium suum* &c. Clarior negotio huic lux affunditur per *Glossam* marginalem, cuius hic est tenor: כתב בפרשת בקבוק ובנו את במות התופת אשר בגיא בן הנם לשרוף את בנותיהם ואת בניהם באש אשר לא דברתי ולא עלתה על לבי שלא תאמרו הלא זה כמו כן הקב"ה ליפתח ומישע ואברה' כי מעול' לא צויתי למישע לשרוף את בנו באש : *Scribit* (Jeremias) *insectione* בקבוק: *& aedificauerunt excelsa Tophet in ualle filii Hinnom ad comburendum filias ipsorum, & filios ipsorum, igne, quod non dixi, neque ascendit in cor meum.* Ne *autem dica-*

tis, nonne praecepit, quemadmodum ſanctus benedictus ille Jephtae, Meſae & Abrahamo? profecto nunquam praecepi Meſae cremare igne filium ſuum. Paria inculcat *Gloſſa* ſuper *Tractat.* SANHEDRIN, *fol. 39. col. 2. f. 2. lin. 15.* מישע מלך מואב שהקריב בנו וגו׳ *Meſa rex Moab, qui obtulit filium ſuum.* Sed merito a plurium iſtiusmodi teſtimoniorum allegatione hic nobis temperamus, cum uel hactenus adducta communiorem, ſuper humana hac uictima, hypotheſin apprime confirment. Omnes enim textus circumſtantiae, ut ad *II. Reg. III. verſ. ult.* bene monet DAVID MARTIN, *in Notis ſuis ſuper Bibliis Gallicanis*, euidenter euincunt, ut ad ipſum Moabitarum regem notionem hanc reducamus, maxime cum aliunde nobis non innoteſcat, quod rex hic ſua in poteſtate filium praefecti *Edom* unquam habuerit.

III.

Ne quid tamen reticeamus, non ſpernendum aduerſae opinionis patronis, ut iſtam ſtabiliant, praeſidium ſubminiſtrat AMOS. *Cap. II. verſ. 1.* ubi diſertis *Propheta* verbis enunciat, quod MOAB *oſſa regis Edom in calcem combuſſerit.* Id enim breuiter dicunt hae uoces, quod *Moabitae* regem aliquem, ſeu ſupremum principem, populi *Edom*, nomine ſuo non expreſſum, adeo crudeliter tractauerint, ut oſſa eius, uel corpus integrum, uel oſſeas, & duriſſimas, etiam eius partes, prorſus combuſſerint, uel incenderint, & quidem igne flammante, לשיד, *εἰς κονίαν*, ut LXX. habent, uel ut *Hieronymus*, usque ad cinerem. Hac enim phraſi ſimpliciſſime notatur combuſtio totalis in minutias, calci, quoad colorem quoque, non diſſimiles. Quanquam uero

inter

inter *Ebraeos* non desint, qui asseuerent, quod ossium haec combustio regi *Idumaeae*, iam sepulto, qui cum JORAM, rege *Israelis*, & JOSAPHAT, rege *Judae*, ascenderat aduersum MOAB, contigerit, cum uariis omnino occasionibus fieri potuerit, ut regem aliquem *Idumaeae*, sibi prorsus uicinae, siue uiuum raperent, siue mortuum abducerent; plures tamen putant, eandem hic rem narrari, quae *II. Reg. III, 26. 27.* proponitur. R. DAVID KIMCHIUS sane, *Bibl. Buxtorf. fol. 657. col. 2. lin. 23.* a fine ad l.c. Amosi delatus, super uerbis עצמות מלך ארום וגו ita commentatur: הוא מה שנאמר בספר מלכים ויקח את בנו הבכור אשר ימלוך תחתיו ויעלהו עולה על החומה : *Est id, quod dicitur in libro Regum: & sumsit filium eius primogenitum, qui regnaturus esset post illum, & obtulit eum in holocaustum super muro.* Et iterum *lin. 17.* a fine: מלך מואב שרף את בן מלך אדום במלחמה שהוא היה שם עמהם : *Rex Moab combussit filium regis Edom in bello, quod ibidem cum illis erat.* Hunc ad locum similiter quoque prouocat R. LEVI BEN GERSOM, in *Comment.* super *II. Reg. III. v. ult. Bibl. Buxt. fol. 410. col. 1. lin. 3.* a fine: אז לקח במחנה מלך אדום בנו הבכור אשר ימלוך תחתיו והעלהו מעולה על החומה ר"ל ששרף אותו כאמרו על שרפו את עצמות מלך אדום לשיד : *Tunc sumsit in castris regis Edom filium primogenitum, qui regnaturus esset post ipsum, obtulitque eum in sacrificium super muro, uult dicere, quod combusserit eum, quemadmodum dicunt; eo quod cremarit ossa regis Edom in calcem.* Idem defendere annisus est R. quidam ELIESER, cuius mentem ut ABARBANEL, in *Comment.* ad *Amos* l. c. *fol. 245. col. 2. f. 2. lin. 39.* succincte exhibet, ita insimul monet, quod idem hoc factum belli, postmodum, *Edomitas* inter atque *Israeli-*

 tas

tas gesti, causa extiterit: היתה הסבה בזה לפי שבאותה מלחמה יצא מלך מואב ויקח את בן מלך אדום ויעלהו עולה על החומה שעל חומת העיר שרף אותו כעולה לאלקיו ולפי שהעולה כלה כליל לכן אמר כאן על אותה עולה על שרפו עצמות מלך אדום לשיד כי לפי ששרף עצמותיו עד אשר דק לעפר אמר לשיד וכבר נאמר בספר מלכים על זה: *Causa fuit in hoc, quia in isto bello exiit rex Moab ac cepit filium regis Edom obtulitque eum in holocaustum super muro: siquidem super muro urbis combussit eum instar victimae Deo suo. Et quia holocaustum perfectum fuit, ideo loquitur hic de holocausto isto, quod combusserit ossa regis Edom in calcem. Nam quia cremavit ossa, usque dum comminuere potuit in cinerem dicit* לשיד. *Jam autem dictum est de hoc in libro regum.* Et eundem quidem hunc locum incertus quidam autor, cujus mentionem §. praeced. injecimus, pro se allegat. JO. MARKIUS, in suo super *Amos* l. c. Commentario, rem licet in medio relinquere videatur, in hanc tamen sententiam similiter magis inclinans, ita scribit; *Nostrum hoc dudum fuit judicium, rationes non esse demonstrativas ab una, & ab altera, parte, attamen verisimili conjectura posse, in utroque loco, eandem rem intelligi. AMAMA, Comment.* in *2. Reg.* III, vers. ult. certi quid non determinans: *Ego*, inquit, *me hic adeo implicitum video, ut quid assequendum sit, jam non videam.* A nostris interim partibus, qui proprium regis *Moabitici* filium hic intelligimus, stant, praeter VULGATUM, & NICOLAUM LYRAM, MARTYR, PISCATOR, CALOVIUS, alii, ex *Christianis*: *Ex Judaeis* vero, cum JOSEPHO, *libr.* IX. cap. III. JUDÆI, in *Glossa marginali* Tractatus *Taanith fol.* 4. siquidem hi judicium, super *Amosi* oraculo, ita inibi informant: מאי דכתיב על שרפו עצמות

מלך

מלך אדום לסיד מילתא אחריתא היא : *Id quod ſcriptum eſt : eo quod combuſſerit oſſa regis Edem in calcem, res alia eſt.* Neque enim, ſi ambo loca curatius, & cum ſtudio, excutimus, probatior utrobique parallelismus ſe nobis exhibebit. Praeterquam enim quod *Amoſus* non de filio regis, ſed de ipſo rege, loquatur, nullam iſte plane holocauſti mentionem, quod tamen *Scriptor Regum*, cum cardo negotii in eo potiſſimum uerſaretur, maximopere urget, iniicit. Accedit quod, *Regum librorum autor*, hominem uiuum arae impoſitum, oblatumque, introducat: *Amoſus* uero de oſſibus tantum hominis mortui concremati ſtylum ſuum informet. HIERONYMUS ſane, ne *Amoſi* hic locus ad iſtam, quae in oraculo noſtro deſcribitur, hiſtoriam reducatur, de *Moabitis* commemorat, quod hanc filii regis ſui immolationem adeo ad animum iſti reuocauerint, ut in irae ſolatium ipſum *Edomaeorum* regem mortuum iam tum, & ſepultum, ex ſepulchro effoderint, eiusdemque oſſa combuſſerint.

IV.

Ipſum ſacrificii, ſiue uictimae, genus, quo *Moabus* hic uſus eſt, nuncupatur עולה, cujus origo a uerbo, עלה, *ἀναβαίνειν*, *aſcendere*, quo cum etiam immediate coniungitur, repetenda eſt. Eſt itaque עולה proprie ſacrificium, ut KIMCHI docet, שהיה כלו כליל על המזבח *quod totum in altare aſcendit*, uel, *quod arae impoſitum, & igne* ibidem *diſſolutum, uel maxima ex parte, detractis ſcilicet extis, ſurſum aſcendit.* Hinc ABARBANEL, in *Praefat.* ad *Leuit. fol. 184. col. 1. f. 1. lin. 51.* mentis ad coeleſtia aſcenſum, cum iſtiusmodi ſacrificio adumbrans: כי inquit, תכלית העולה שהוא לדבק נשמה השכלית עם בוראה :, *Scopus ho-*

locau-

locausti est, ut hinc ediscat anima intelligens creatori suo se adiungere. LATINE est *cremutium*, ut ISIDORUS in *Gloss.* habet, GRAECE ὁλόκαυστον, *adoletum*, ὁλοκαύτωσις, *flagrantia*. SEPTUAGINTA frequenter, ut h. l. uertunt per ὁλοκαύτωμα, item etiam per ὁλοκαύτωσιν, eo uidelicet, *quod uictima istiusmodi integra comburenda erat.* LATINUS *Graeca* retinens nunc per *holocaustum*, nunc per *holocautoma*, & *holocaustoma* notionem similiter reddit. Omnium uero uictimarum generum holocausta fuisse antiquissima dubio caret, postquam non ABRAHAMUS tantum, *Gen. XXII. 13.* sed & ante eum NOACHUS, *Gen. VIII, 20.* exemplis suis, id confirmant. Nec dubium sane, quin sacrificia ab *Abele* facta eiusdem quoque generis fuerint, siquidem nullum aliud genus, nisi diu post Abrahamum natum, in sacris literis, memoratur. Ipsi quoque Gentiles ritu hoc uti temporis successu sueuerunt. ὁ δὲ Ἀμίλκας, inquit HERODOTUS, in *Polymnia*, ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἐθύετο καὶ ἐκαλλιερέετο, ἐπὶ πυρῆς μεγάλης σώματα ὅλα καταγίζων. *Hoc tempore immolabat, litabatque, Amilcas, in magna pyra, integra sacrans corpora.* Materia huius sacrificii generis animalia bruta erant, in quo etiam distinguebatur a כליל, utpote quod non solum de animalibus, sed de farina etiam, pane, atque oleo, fiebat. Astu uero, & fraude, diaboli eo demum res perducta est, ut asseclae huius, in brutorum animantium locum homines uiuos, & ex his pignora charissima, liberos scilicet suos, substituerent, quale quid MOABI sigillatim factum, omnibus diris execrandum, nos edocet. Plura qui de holocausti, apud *Ebraeos* usitati, indole, & natura, nosse desiderat, eum ad

Codi-

Codicem Senachim, ad *Rambam*, *Hilc. Hakkorbanoth* c. XIII. *Lyranum* (qui conuersus erat Judaeus) in *Cap. I. Leuit. Sigonium* de *Rep. Ebr. Lib. IV. C. III. Outramum*, p. 106, seqq. & *Saubertum* p. 430. de *Sacrificiis*, hic ablegamus.

V.

Cuinam uero Numini hunc suum filium immolauerit *Moab*, ea quidem res similiter in disceptationem iam dudum reuocata est. In *Tract. Sanhedrin* enim, *Cap. IV. fol. 39. col. 2. lin. 5.* a fine: רב ושמואל חד אמר לשם שמים וחד לשם עבודה זרה: *Raf & Samuel* (dissentiunt) *unus dicit Deo coelorum, alter Deo alieno.* Eiusdem huius dissensus mentionem quoque iniicit ABARBANEL, in *Comment.* ad *II. Reg. III. v. ult. fol. 272. col. 2. f. 1. lin. 25.* ita scribens: מהם אמרו לשם שמים העלה אותו שחשב לעשות בו רצון השם ומהם אמרו לשם עבודה זרה נתכוון: *Quidam dicunt Deo coelorum obtulit eum, quia eo beneplacitum Dei facere cogitabat: quidam dicunt Deo alieno intendit.* Ne uero, qui pro Deo coelorum, siue uero Deo, hic pronunciant, frustra id asseruisse uideantur, istam traditionem, quam R. JACOB ABENDANA, in *Spicileg.* ad *R. Sal. B. M. M. J.* super *II. Reg. III. v. ult. fol. 80. col. 1. f. 1.* recenset, communiter pro se allegant. Huius uero ista commatis est: רבותינו ז״ל אמרו ששאל עבדיו מפני מה אומה זו ראויה לנסים כאלה אמרו לו אברהם אביהם העלה את בנו עולה אמר להם אף אני אעשה כן והעלה את בנו עולה: *Rabbini nostri p. m. dicunt, quod interrogarit* (scil. rex Moab) *ministros suos, quare natio haec digna sit istis miraculis; responderint ipsi, Abraham pater ipsorum obtulit filium suum in holocaustum; hinc dixerit, etiam ego ita faciam. Obtulit itaque filium in holo-*

holocauustum. Conf. R. DAV. KIMCHI in *Comment.* ad h. l. *fol. 410. col. 1. lin. 6.* a fine. ABARBANEL in *Comment.* ad h. l. *fol. 272. col. 2. f. 11. lin. 19.* Existimant enim sententiae huius patroni, quod *Moabitarum* rex, in tanto rerum suarum discrimine constitutus, uerum Deum, eam ob caussam, inuocauerit, eidemque sacrificauerit, quoniam ab omni, & hominum, & Deorum, auxilio destitutum se fuisse deprehendisset. Concesso autem tantisper, quod *Abrahami* exemplum in imitationem MOABUS sibi proposuerit, toto tamen istud, ab huius facto, coelo, quod dicitur, differebat, siquidem *Abrahamus*, qui filium suum reuera non mactauit, ex iussu, & mandato Dei, qui Patriarchae fidem probare uolebat, mactationi eundem tantummodo destinauit. Quadrant huc inprimis ea, quae in *Tract. Taanith, fol. 4. col. 1.* in *Glossa marginali*, reperiuntur, & ita habent: לא עלתה על לבי זה יצחק בן אברהם כלומר אע״פ שצויתי לו מעולם לא עלתה על לבי לשחוט בנו אלא לנסותו: *Non ascendit in cor meum illud de Isaaco, filio Abrahami, quasi diceret, quamuis praeceperim ipsi, nunquam tamen ascendit in cor meum, ut mactaret filium suum, sed ut tentarem ipsum.* Sed cum nullo Scripturarum S. oraculo adducta *Rabbinorum* sententia, quasi coelorum, siue uero Deo, MOABUS filium suum immolauerit, innitatur, isti omnino hic audiendi sunt, qui ad alienos, siue peregrinos, Deos confugiunt. R. DAVID KIMCHI in *Comment.* ad h. l. *Bibl. Buxtorf. fol. 410. col. 2. lin. 2.* a fine, SOLI hoc sacrificium tribuens: אמרו לע״ז העלה ומפני זה חסר וי״ו, inquit, יש החמה כי היה עובד לחמה והעלה את בנו לחמה: *Quidam dicunt, quod Deo alieno obtulerit, ideoque deficiat* ו *in uoce* החמה. *Quoniam coluit Solem, obtulit etiam filium suum Soli.*

Sed

Sed nondum habet *Kimchius*, in quo tuto acquiescat, siquidem *Num. XXI. 29.* MOABITAE per עם כמוש, *Populum* CHEMOSCH, hoc est, per istiusmodi populum, cuius Deus CHEMOSCH est, circumscribuntur; SALOMO etiam *I. Reg. XI. 7.* כמוש שקץ מואב *Cemoscho, abominationi Moabitarum*, במה, *excelsum*, extruxit, *I. Reg. XI. 7.* & alibi quoque, ut *II. Reg. XXIII. 13. Jer. XLIIX. 7. & 13.* idem hic *Chemosch*, ut proprium *Moabitarum idolum* (quod tamen SVIDAS, quando scribit, quod χαμὼς θεὸς Ἀμμονιτῶν sit, etiam *Ammonitis*, quorum idolum ordinarium MELCHOM erat, sine dubio, *Jud. Cap. XI. 14.* ad id inductus, attribuit.) introducitur. MESAM itaque, abominando suo hoc holocausto, idem quoque inprimis placare, propitioremque sibi reddere, uoluisse, admodum probabile est. HIERONYMO, qui in *Esa. Cap. XV. 2.* diserte adstruit, *quod in Nabo fuerit CHAMOS, idolum Moabitarum, quod alio nomine BAAL PHEGOR appellatum fuerit*, omnes propemodum interpretes, uel eam ob causam, adstipulantur, quoniam in *Scripturis sacris* τȣ̃ *Baal Phegor* mentio vix amplius iniiciatur, nisi in istis locis, in quibus Israelitarum cum filiabus Moabi commistio, & pollutio, recensetur. De hoc uero idolo plura qui scire discupit, adeat VOSSIUM *de Orig. & Prog. Idol. Lib. II. Cap. VIII.* JURIAEUM, *in Histor. Critica p. 461. seq.* & POCOCKIUM, *in Annot.* ad *Specimen Histor. Arab. pag. 316.* quibus & CLERICUM, in *Comment. super Num. XXI. 29.* uel eam ob caussam adsociamus, quod allatam is KIMCHII sententiam interpolare uideatur, quando, ad *Arabismum* confugiens, כמוש, idoli nomen, a radice كَمَشَ *Kamoscha, celerem esse*,

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn348341466/17 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

deriuat, SOLEMque adeo, utpote qui, ſumma celeritate, utrumque haemiſphaerium peragret, cum eodem iſto reciprocat.

VI.

Facinus uero hoc uti atrox in ſe, atque ſummopere deteſtandum, erat, ita fieri aliter non potuit, quam ut magna ira, atque indignatio, iſtud inſequeretur. Verba enim, ויהי קצף גדול על ישראל & *facta eſt indignatio magna ſuper Iſraelitis*, iſtiusmodi quid aperte indigitant. Utrum uero קצף, *feruor*, *ira* iſta, ὀργὴ, θυμὸς, παροξυσμὸς, χόλος, ut, diuerſis in locis, LXX. uocem uertunt, cum ſubiectum in textu reticeatur, ad ſolertiſſimum *Iſraelis* cuſtodem, uel ad *Edomaeorum* praefectum, aut *Moabitarum* regem, uel denique ad ipſos *Iſraelitas* referenda ſit, ea quidem res praeſtantiſſimorum Interpretum animos, olim atque olim, non parum exercuit. *Deum* contra *Iſraelitas* indignatum fuiſſe, eam ob cauſſam, hariolatur, in *Comment.* ſuo ad h. l. VICTORINUS STRIGELIUS, quoniam *Iſrael*, in medicando, modum exceſſerit, uel etiam intempeſtiua quadam clementia, *Saulis* inſtar, qui *Amalekitis* parcebat, uſus fuerit. BRUGENSIS uero, cum NICOLAO LYRANO, in eandem hanc inclinans ſententiam, Deum inde contra *Iſraelitas* concitatum fuiſſe autumat, quoniam hi, filios ſuos MOLOCHO immolando, peſſimum, idem perpetrandi, exemplum *Moabitis* ſuppeditaſſent. Ex *Synagoga* in theatrum hic producimus R. DAVIDEM KIMCHIUM, qui contribulium quorundam, de Deo, Iſraelitis irato, uerba capientium, mentem, in *Comment.* ad h. l. *fol. 140.*

col.

col. 1. *lin.* 4. per ſeqq. proponit : מהם אמרו לשם שמים העלה אותו והו שאמר ויהי קצף גדול על ישראל שנתקצף הקדוש ברוך הוא עליהם כי מלך מואב לא חמל על בנו : *Quidam dicunt Deo coelorum obtulit eum, & hoc eſt, quod dicit* (Scriptura) *& erat indignatio magna ſuper Iſraelitis, quoniam Sanctus Benedictus ille iratus erat illis, cum Rex Moab non pepercisset filio ſuo.* Sed cum & haec *ἄτερ γραφῆς*, & ullo absque Scripturae fundamento, aſſeuerentur, alii ad *Edomaeorum* regem, hoc in negotio, confugiunt, & indignationem iſtius, על ישראל *ſuper Iſraele*, magnam fuiſſe arbitrantur, uel, quod reges ſocii, & ſigillatim *Iſraelitae*, non eam, quam ipſemet uolebat, diligentiam, in recuperando filio, probaſſent; uel, quod pertinacius, quam cupiebat, in obſidione iſti perſeueraſſent; uel etiam, quod ipſorum potiſſimum cauſſa, filio ſe orbatum eſſe exiſtimauerit. Huic interpremento ſuum inprimis calculum adiiciunt *Rabbini*, ex quibus R. DAVIDEM KIMCHIUM, qui in *Comment.* ad h.l. *Bibl.Buxt. fol.*410.*col.* 1. *lin.*7. a fine, mentem iſtorum ſuccincte exhibet, praeter ceteros nominamus. Ad authentica enim ויהי קאף גדול על ישראל adiicit iſte : במלך אדום שלא עזרוהו להצילו מידם : *In rege Edom quod non iuuerint eum, ad eripiendum iſtum* (filium) *e manibus ipſorum.* His cum apte componimus ea, quae l.c. *lin.*10. a fine, ab eodem proponuntur. ויהי קצף גדול אל ישראל ממלך אדום כי חשב בעזרתם יוציא בנו מתחת יד מלך מואב : *Et erat indignatio magna ſuper Iſraelitas in Rege Edom, ſiquidem cogitauit auxilio ipſorum eripere filium ſuum ex poteſtate Regis Moab.* Similia inculcat ABARBANEL in *Comm.* ad h.l. *fol.*272.*col.*I.*f.*2.*lin.*3. a fine: ita ſcribens מלך אדום בתחלת קצף על ישראל אם בעבור שלא עזרוהו להציל ולמלט את

 בנו

בנו ואם לפי שבעבורם באה לו הרעה הזאת: *Rex Edom plenus erat ira erga Iſraelitas, aut propter id, quod non adiutauerint ipſum eripere, & liberare, filium ſuum, aut quia propter eos euenit ipſi malum hocce.* At enim uero, cum *Ebraei hi Doctores*, ui hypotheſeos ſuae, quaſi *τὸ* בנו ad filium regis *Edom* ſit referendum, hac potiſſimum meditatione plurimum delectentur, miſſis iſtis, *Moabitarum* regem, poſtquam hic filium ſuum, iuxta ſuperius dicta, immolaſſe cenſendus eſt, cum *Chriſtianis* non paucis, hac quoque in parte, haud grauatim, eligimus. Credibile enim eſt, regem, peracto ſcelere, ad ſe rediiſſe, filium luxiſſe, ac iras concepiſſe aduerſus tres reges, quibus cladem, & damnum hoc irreparabile, merito imputabat: Neque enim iſti demum hic audiendi ſunt, qui cum PERERIO, in *Cap.* XXII. *Gen.* n. 105. indignationem *Iſraelitarum* contra ſe inuicem hic intelligunt, quaſi ſcilicet *Iſraelitae* idololatrae, viſo iſto holocauſto, cooperante diabolo, magni iſtud pependerint, & de uictoria aduerſus regem, tanti holocauſti praeſidio munitum, prorſus deſperauerint, atque adeo ad iram contra *Iſraelitas*, in bello perſiſtere volentes, ſummopere commoti fuerint; vel quod omnes *Iſraelitae*, ob tam crudele, & indignum, facinus, quod rex *Moab* perpetrare ueritus non fuerat, ſummam, intra ſe, indignationem conceperint, miſerumque regem, ad hujusmodi neceſſitatem, deſperatione, adactum, quaſi in ipſos pars aliqua tanti criminis redundaret, tantopere doluerint, ut obſidione relicta, amplius eundem oppugnare noluerint. Utut uero ultima inprimis haec uerborum acceptio a Se-

nibus

nibus LXXII. *Syro*, *Arabe*, *Vulgato*, *Stephano Menochio*, *Jo. Clerico*, & a nostratium Celeberrimis, cum magna probabilitatis specie ipsamet quoque se commendet, auide arrepta fuerit; obstat tamen eidem, (ut particulae על proprium significatum morosius non urgeamus,) accentuum consecutio, utpote per quam, cum *Athnachus* prope τὸ ישראל collocatus sit, integra haec phrasis, non ut *Syrus*, & *Arabs*, similiter uolunt, ad sequentia, sed ad antecedentia potius, restringenda est. Alia interim, eademque propior forsan, caussa, propter quam belligerantes arma deponere, ac domum reuerti, uel uoluerint, uel debuerint, quaenam fuerit, cum atrox, a *Moabo* perpetratum, factum, non tam ad misericordiam, quam ad maiorem uindictam exercendam, instigare foederatos potuisset, eam quidem, Scriptura tacente, non determinamus.

VII.

Ad ipsum porro immolationis scopum, atque finem, cur scilicet consilium, adeo desperandum, iniuerit, imo reapse etiam executus sit, Moabus, delati, extra orbitam forsitan haud uagabimur, si religiosum partim, partim etiam politicum, istum fuisse asseuerabimus. Ut enim Deos suos ad misericordiam, & ad sui, ac uniuersi populi, in ultimo uitae, rerumque, discrimine, constituti, protectionem tandem aliquando commoueret, rem, quam possidebat, longe pretiosissimam, filium nempe, ac regni heredem, iugulauit, & in sacrificium iisdem obtulit. Quod uero, eodem hocce scelere, & gentis suae, & hostium, animos mitigare, hisque sigillatim horrorem sacrum, ut a persequendo se ulterius desisterent, incutere insuper uoluerit, uel inde satis liquido constare uidetur, quod sacrificium hoc diis suis, non in loco iisdem desti-

nato sacratiori, scilicet in templo, sed super muro, ut a subditis aeque, ac hostibus, undequaque conspici istud posset, parauerit. Apte hanc in rem CORNELIUS a LAPIDE in *Comment.* ad h. l. *p. 232. Obtulit*, inquit, *filium suum super murum, tum ut Dii placati hoc tam dilecto, & insigni, holocausto, tutarentur murum, tum ut Israelitis, murum obsidentibus, commiserationem moueret, dum uiderent regem ad tantas angustias redactum, ut filium suum primogenitum immolaret, itaque eum obsidere & persequi desinerent, eoque relicto, domum redirent.*

VIII.

Votis, atque desideriis, MOABI respondit euentus, siquidem scriptor sacer omnem historiam ita tandem concludit: ויסעו מעליו וישבו לארץ *Et profecti ab eo reuersi sunt in terram suam.* Hoc uero dum statuminamus, id quidem plane non intendimus, quasi scilicet *Israelitae*, & reges socii, praecise, ob immolationem filii, a *Moabo* factam, ab omni ulteriori huius oppugnatione destiterint, atque in terras suas reuersi fuerint, siquidem structura textus, ut supra monuimus, hanc interpretationem, quae alias sic satis commoda est, & quam antiquissimi aeque, ac recentiores, Scripturarum explanatores, ad unum omnes ferme, amplexi sunt, plane, & per se non indicat. Digna ceteroquin, quae hic allegentur SANCTII uerba sunt, quando oppugnatores, postquam regem eo redactum esse uiderant, ut de filio suo tam seuere decerneret, sibi ipsis subiratos fuisse autumat, quod patrem miserum coegissent in sua pene uiscera ferrum adigere, & ex tragico sacrificio cruentas referre manus, atque, eam ob caussam, gladium in uaginam condendum, & saluo rege, in patriam redeundum esse statuisse.

Neque

Neque etiam istam discessus caussam plane hic reticemus, quasi uidelicet Israelitae mandatum illud diuinum, quo immolatio hominum, cui ansam ipsimet praebuerant, seuere illis interdicta est, in memoriam sibi reuocauerint, & ad quam, *Glossa marginalis* TRACTAT: SANHEDRIN, *fol. 39. col. 2. f. 2. lin. 17.* in seqq. lectorem remittit, כך היו ישראל עושין ובאותה שעה מזכיר להם אותו עון שהיו רגילין גם הם כו׳: *Ita & fecerunt Israelitae, ac in ea hora in memoriam reuocabatur ipsis delictum istud, cui ipsi erant assueti.* Conf. R. D. KIMCHI in *Comment.* ad h. l. *f. 410. col. 1. lin. 2.* a fine. Sed his, & reliquis, quae istis sunt similia, missis, nos quidem iudicamus, quod & uerba ista: ויהי קצף גדול על ישראל, ad antecedentia, & Moabum quidem, referenda sint, & particula ו, in ויסעו, non causaliter, per QVAPROPTER, sed copulatiue, per ET, uertenda sit, ueraque adeo discessus caussa dilucide, in ipso textu, non exprimatur. ARABS sane eo delabitur, ut existimet, quod *Israelitae* non frustra, sed, eam ob caussam, pedem retulerint, & in terram suam reuersi fuerint, بعد قضايهم ما ارادوا منهم *Postquam assecuti sint, quicquid uoluerint ab eis* (Moabitis.) Et huius autoritate, ut uidetur, inducti sunt isti, qui apud CORNELIUM a LAPIDE, in hunc locum, p. 232. recessum hunc, renouato demum foedere cum rege *Moab*, de tributo dando regi *Israel*, ita ut finem belli suscepti recessus non abstulerit, factum esse existimant. Per nos suo hic quisque abundet sensu, utpote qui, stabili, ac firmo, cui innitamur, fundamento destituti, temere, & audacter, ut sub finem §. VI, iam tum monuimus, certi quid non definimus.

בנ״לך

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn348341466/23
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

AUCTORI DISSERTATIONIS CLARISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

EX *quo*, Academia *ad* Salam *sita, quae ulnis suis, per integros duos annos, arcte* TE *complexa fuit, tantisper relicta, ad has nostras secessisti Athenas*, Vir Clarissime, *e re Tua inprimis esse existimasti, ut inpublicum prodires, & honores, in Philosophia summos, beneuole, hic locorum, haud ita pridem*, Tibi *collatos, eruditis quibusdam, in medium propositis, speciminibus, tempestiue corroborares. Ego ut institutum hoc, omni encomio dignissimum, summopere probo, ita DEUM precor immortalem, ut in nostro hoc, in quod ingressus es, Musarum stadio, in offenso pede, atque impigre, decurras, & in literariae reipublicae decus, ac solatium, indies, magis ac magis, felicissime succrescas. Fiet ita, ut, suo tempore, praemia* Tibi *non desint amplissima, & in eo fortunae, ac dignitatis, gradu colloceris, in quo collectos ingenii thesauros digne expromere, & DEI aeque, ac proximi, caussam, inter omnium bonorum plausus, uotiuasque adclamationes, strenue tutari valeas. Opus interim, cui semel TE consecrasti, inposterum quoque nauiter urge, & uictoriam, nuper admodum, ab infensissimo Christiani nominis hoste, reportatam, quam, utpote prorsus insignem, & uix cum alia quadam componendam, certatim, & summis laudibus, ultima concelebrabit posteritas, pia, ac deuota, mente mecum recole. Dabam è Museo meo IV. Kal. Sept. A. R. G.*

M DCC XVI

Coll. diss. A. 134, misc. 14

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn348341466/24 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG